

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7519

**Auteur(s) :** Axo, fils d'Hélie d'Argences [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Fécamp, La Trinité (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1237, juin

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Vente des droits du sergent des vignes d'Argences (envers l'abbaye de Fécamp).

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Études sur la condition de la classe agricole et l'état de l'agriculture en Normandie au Moyen Âge*, Évreux, Hérissey, 1851, p. 465-466, n. 322.

Texte établi d'après a

Sciant presentes et futuri quod ego Sanxon filius Helye de Argenciis relaxavi, quitavi et de me et meis heredibus in perpetuum abjuravi ecclesie Sancte Trinitatis Fiscanni quatuor solidos redditus quos ab eadem ecclesia percipiebam singulis annis ad Pascha pro sotularibus et caligis, ratione serjanterie vinearum et torcularium suorum de Argenciis ; pro sarpa, duodecim denarios ; pro feria de la Wibraï, duos solidos ; pro autumpno, novem minas ordeï ; singulis diebus quando operarii erant in vineis dicte ecclesie, octo denarios, et procurationem meam cotidianam, quando et quandiu monachus Fiscannensis morabatur in vindomiis apud Argencias ; septem galones vini ; fecium, sarmenti, claustrarum vinearum, veteris marremii torcularium laniati prope terram, emendarum de bestiis inventis ad foriffactum in vineis, et herbagiorum carerie Vinearum, medietatem in omnibus ; unam quadrigatam nemoris ad Nativitatem Domini, pro retrostfocinio ; quolibet die quo sycera premebatur, unum galonem sicere ; de quolibet marco hominum ville, tam de vino quam de sicera, obolum unum ; quando terre jacentes liberantur, pro cerotheis, duos denarios ; in Nativitate Domini, pro oblationibus, tres denarios et dimidium sextarium vini ; in Purificatione, unum denarium, et unum galonem vini ; in Pascha, duos denarios et dimidium sextarium vini ; et preterea, in quolibet predictorum trium festorum, unum panem et unam candelam ; et hoc quod dicebam me debere ponere et remove operarios in vineis dicte ecclesie, et solvere locagia eorum de denariis abbatis, et mensurare et recipere vina que homines ville solvebant ; et procurationes duorum servientum in vindemiis, illius videlicet qui vina colligebat, et illius qui torcular custodiebat ; et custus meos in die veneris proxima post festum beati Martini hyemalis, quando gablagium colligebatur per villam ; et custus meos, quando duo magna ligna torcularium adducebantur ; et custus meos sive procurationem, quocienscunquo abbas comedebat apud Argencias ; et plenum panerium racemorum in vindemiis ; et omnes redditus et omnia alia jura, undequaque proveniencia, que in villa de Argenciis vel alibi habebam vel habere poteram aut debebam, occasione serjanterie vinearum et torcularium predictorum, de me et heredibus meis, sepedicte ecclesie similiter in perpetuum relaxavi, ita quod in predictis omnibus nichil omnino retinui, exceptis tantum quitanciis de rebus ad dictam ecclesiam pertinentibus, quas in villa de Argenciis et alibi, tamquam serviens, de jure habere debebam. Pro hac autem relaxatione, quitatione et abjuratione mea, de me et meis heredibus inviolabiliter observanda et tenenda, assignaverunt michi abbas et conventus supradicte ecclesie, in excambio predictorum, sex acras terre, sitas apud Argencias, juxta terram

Radulphi Hamonis, ex una parte, et terram Hugonis Robiket, ex altera, et insuper dederunt michi, pro predictis omnibus firmiter et fideliter observandis, decem libras turonensium. Et sciendum est quod, in serjanterin vinearum et torcularium prefatorum, vel occasione eorum, sive in appendiciis eorumdem, ego vel heredes mei nichil omnino de cetero poterimus reclamare, calumpniari vel exigere, preterquam sex acras terre supradictas, quas quidem sex acras, tam ego quam heredes mei, tenebimus de ecclesia supradicta, ab omnibus redditibus, servitiis et exactionibus liberas et quietas, reddendo tamen justam decimam ex eisdem. Et, ut hec omnia perpetua vigeant firmitate, presentem cartam sigillo meo confirmavi. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo septimo, mense junii.